



OJ
INTER FOLIA FRVCTVS

Zu der öffentlichen Prüfung

der sämmtlichen Klassen

des

Königlichen Gymnasii zu Conitz in Westpreußen,

welche

den 1. und 2. August 1832

gehalten werden soll,

so wie

zu den Feierlichkeiten,

womit

das Geburtsfest

unseres erhabenen und höchst verehrten Königs

Friedrich Wilhelms III.

am 3. August

begangen wird,

ladet

die Eltern unserer Schüler, die Gönner und Freunde des Schulwesens

ehrerbietigst ein

Mich. Carl Gahbler,

Director.

Die lateinische Abhandlung ist vom Oberlehrer Dziadek.

Conitz, 1832.

quos
sociat
cumque
aliquid
per otium
ipsis
liris
sultantes ora iocis
Sed hujus
translatu
merito
aecessibus quibus
varii argumenti
quo ex variis poetis
propria, neque
delectari coeperunt
proximo
ratione
versibus

Dziadek

Satira Romana imprimis Luciliana, antiquae comoediae Graecae non dissimilis; additae sunt causae illius comoediae a Romanis neglectae.

Ex universae antiquitatis scriptoribus, quorum vestigia, quicunque recentiores populi aliqua humanitatis atque eruditionis laude floruerunt, sedulo persecuti sunt, et jucundissimos et utilissimos esse eos, quorum opera cum vita, institutis, moribusque suorum civium, quasi foedere sociata sint, facile intelligitur. Inter quos, quum Graecorum comici prisci, et satirici Romanorum poëtae neque infimum locum obtinere, et quamquam a diversis initiis profecti sunt, tamen aliquid similitudinis habere viderentur, quibus potissimum rebus inter se similes sint, quantum per otium praesidiaque doctrinae potuit fieri, adumbrare placuit. Comoediae originem, ut ab ipsis initiis ordiamur, Aristoteles ille clarus philosophus (in art. poët. c. V. ed. Buhle) a phallicis repetit, h. e. a cantibus inconditis, quos rustici homines diebus Baccho festis gaudio exsultantes cum jocis scurrilibus edebant. Inde, quum postea certa argumenta illis lepide dictis subjicerentur, et extemporales sermones in artem paulatim vertissent, justae fabulae ortae sunt. Sed hujus dramatis sive a Megarensibus sive a Siculis (vid. Aristot. l. l. c. IV.) in Atticam translatum est, non minus quam plurimarum disciplinarum perfectarum honos Atheniensibus merito debetur.

Satira carmen vere Romanum [1]), cum mimis a communi fonte profecta, e variis jocis agrestibus, quibus homines hilaritate perfusi sese invicem ludebant, nata est. Illa ludicra fuisse varii argumenti docet Diomedes Grammat. III. 483, cujus verba haec sunt: „olim carmen, quod ex variis poëmatibus constabat, satira vocabatur.” Sed satira quamquam Romanorum propria, neque initio a Graecis literis pendens, posteaquam Romani Graecis literis artibusque delectari coeperunt, a Lucilio ad veteris comoediae exemplum conformata, ad ejus similitudinem proxime accessit. Primum enim et illi comici et satirici Romani exempla plerumque a veritate petentes aequalium et principum sua auctoritate in republica abutentium, et poëtarum, et oratorum et philosophorum, omnium omnino hominum vitia perstringebant, cum majorum temporibus tempora sua comparabant, atque aemulis [2]) et adversariis [3]) acerbissimos dolores suis versibus infligebant. Sed comoedia prisca ea re fuit acerbior, quam satira, quod leviora vitia in scelus vertebat, et homines insontes, ac potius maximis praemiis dignos in scenam deridendos produxit; quam rem jam Cicero vehementer vituperavit (vid. Cic. de republ. l. IV., apud

1) Quintil. X. 1, 93: „satira quidem tota nostra est.”
Horat. satir. I. 10, 66: — Graecis intacti carminis auctor. supple Ennius.

2) ut Aristophanes Cratino in equitibus.

3) Horat. II. 1, 44 sq. — — — at ille
qui me commorit (melius non tangere clamo)
flebit et insignis tota cantabitur urbe.
Ac fecit, quod minatus erat, Pantilium, Demetrium, Fannium, Hermogenem Tigellium sat. I. 10, v. 78—80. ac passim urens.

Augustin. C. D. II. 9.). Ac Lucilium quidem idem consilium secutum esse, Horatius disertis verbis exponit in sat. I. 4, ubi commemoratis comoediae antiquae principibus, quamque in rationem eorum fabulae scriptae fuerint, ita pergit:

v. 6, hinc omnis pendet Lucilius; hosce secutus
7, mutatis tantum pedibus numerisque. —

Idem memoriae prodidit, Lucilium quoque principes acerbis verbis exagitasse, ut Rutilium Lupum, Metellum, Scaevolam, Carbonem, L. Tubulum aliosque, vid. II. 1, 67, 68, ibique Heindorf. Accedit, quod Horatius satiricis Romanis comicos antiquos Graecos imitandos esse statuit, in Sat. I. 10, 16, 17.

Illi scripta quibus comoedia prisca viris est
Hoc stabant hoc sunt imitandi. —

In septem superioribus versibus, qualis stilus satiricorum esse debeat, scribit.

Atque comicos ab Horatio non fuisse neglectos, ex ejusdem sat. II. 3, 11 et 12. constat, quo loco Damasippum aretalogum sibi exprobrantem facit:

quorsum pertinuit stipare Platona Menandro
Eupolin, Archilochum comites educere tantos.

Quae verba docent, Horatium ad satiras scribendas non solum comicos antiquos, sed omnes scriptores, qui vel facetiis, vel ironia, vel verborum aculeis insignes fuerint manibus trivisse. Persium quoque ad comoediam antiquam respexisse, trium praestantissimorum comicorum mentio in satir. I. 123 facta probabile facit.

Deinde processus, incrementa, fortunaque utriusque poësis, quippe quae perpetua libertatis et alumna et socia fuerit, mirum quantum inter se consentiunt. Namque illa joca scurrilia olim nudo sermone extemporali fusa, inter Graecos Susario [1]), inter Romanos Q. Ennius primus numeris adstrinxit, ita tamen, ut ab Ennio literis mandata esse constet, a Susarione vero idem esse factum in medio relinquatur. Sed quum illa joculatoria minus essent urbana [2]) et comoedia in pagis Atticis diu latuit, in urbem non intromissa, et Q. Ennii satira Romanis minus accepta videtur fuisse, quam ejusdem scriptoris annales, quibus immortalem Homeri Romani gloriam nactus est. Postquam populari dominatione in licentiam effrenatam Athenis mutata comoedia choro publico adornata est, Cratinus ceterique comoediae scriptores, quum antiquiores comici suis fabulis risum maxime captassent, perditorum hominum mores magna cum libertate perstrinxerunt. Sic et Lucilius, vir claro loco ortus, in quo, Quintiliano [3]) auctore, eruditio mira, et libertas atque inde acerbitas et abunde salis fuit, quum luxuria Romae in dies ingravesceret, aequalium vitiositatem gravibus verbis castigavit.

Is, quod ad carpenda hominum vitia [4]) stilum convertit, coepitque veteris comoediae Atheniensium licentiam in suis poëmatis usurpare, atque quod verba certo metro inclusit, (usus est in plerisque satiris versu hexametro [5]), rarius jambis atque trochaeis,) satirae hujus generis inventor habitus est. Ac perfectus fuisset satiricus, si versibus poliendis et elegantiae verborum plus dedisset. Praeterea, ut infracta Atheniensium per triginta tyrannos libertate, lege cautum

1) inde in schol. Dionysii Thrac. τῆς ἐμμέτρου κωμῳδίας ἀρχηγὸς ἐγένετο.
2) Diomed. Grammat. III. 486.
3) Quintil. instit. orat. X. 1, 94.
4) Hor. l. II. 1, 62. 63.

— — — quid? cum est Lucilius ausus
primus in hunc operis componere carmina morem. —

s. I. 10, 47, inventore minor intel. Lucilio —
5) vide Heindorf. ad. sat. I. 4, 7.

est, ne cujus civis persona in scenam proferretur, atque poëtae fictis nominibus optimates populo deridendos proponebant, quam mediam comoediam critici Alexandrini esse voluerunt, ita et apud Romanos, postquam omnis reipublicae auctoritas in unum cessit, satira non jam nec principes nec optimates carpere ausa est; et, si qui ausi sunt, capitale fuit.

Denique inter ipsum sermonem, quum comicorum sermo mira gratia insignis aeque atque in satira populo accomodatus fuerit, aliquid similitudinis intercedit.

Sed fortasse quispiam dixerit, satiram fuisse subjectivam quam vocant, poëtas satiricos alienos mores cum suis [1]) comparantes descripsisse, in comoedia vero antiqua secus fuisse; verum enimvero ii meminerint, comicos antiquos eandem rationem esse secutos in gravissima fabularum parte, quam parabasin vocant, in qua choragus ad spectatores conversus poetae nomine vel suas virtutes praedicet vel alienis obtrectet, vel aemulos insectetur, vel homines, quibus odium populi conciliare velit, taxet, vel denique, quae ad salutem publicam spectent, moneat. Atque in illa comparatione morum, quibus vitiis ipsi laborent, poetae non dissimulant, cujus rei exempla praebent, Horatius sat. II. 3 extrem; et Cratinus, qui in Pytine fabula vinolentiam suam festive lusit. Haec de similitudine habui, quae dicerem.

Jam fortasse aliquis quaeret, quum et Graecorum comici veteres et Romanorum satirici eadem in suis poematis tractaverint, atque satirici illorum sectatores studiosi fuerint, qui factum sit, ut Romani, qui fere omnes disciplinas Graecorum suis literis expresserint, ipsam comoediam neglexerint. Hujus rei causae videntur fuisse mores ac vita, linguae indoles atque natura, denique reipublicae forma. Nam mores Romanorum ab Atheniensium moribus fuerunt longe alieni. Etenim maxime insigne ingenii Romani lineamentum fuit gravitas, abhorrens ab illa facilitate Attica, quae nativa quadam jucunditate ac simplicitate nec joca in se acta adspernanti temperata, ad aliam disciplinam ab alia quasi ludendo decurrebat. Quae quum ita essent Romani potius seria, quaeque ad institutionem vitae communis spectabant, Athenienses vero joca omni futurorum cura missa, sectabantur. Propterea Romani ingenio Graecis literis artibusque subacto, tragoediam cupide amplexi sunt [2]), atque elaborassent in tanto tragicorum numero, (fuerunt autem amplius quinquaginta,) nisi sua aetate heroica, quae largam tragoediarum materiem praeberet, posthabita, a Graecis fabulis argumenta petissent. Illa gravitas igitur et animus bellis diuturnis durus, proclivisque ad joca vel innocentia in malam partem vertenda, maximo fuit impedimento, quominus vetus comoedia etiam apud Romanos efflouresceret. Neque enim Romanis semina defuerunt, unde illa fabula facile nasci potuisset, Fescennina dico, in quibus rustici inconditis inter se joculatoria fundebant versibus (vid. Liv. VII. 2.); quae quum in obscoene dicta atque illiberalia joca verborum contumeliis insontes vulnerantia abisset, ne quis malis versibus peteretur, lege vetitum est (cfr. Hor. epist. II. 1, 145—53.).

Tum illa Fescennina licentia subito obmutuit. Romanorum mores quum ita essent comparati, nequaquam mirandum est, satiricos sibi etiam eorum, quos non tetigerint, odium conflasse, quod diserto Horatii testimonio probatur.

---

1) Horat. sat. II. 1, 32, 33 de Lucilio:

— — — quo fit ut omnis
votiva pateat veluti descripta tabella.
Vita senis. Sequor hunc — — —

2) Horat. epistol. II. 1, 164—66:

Tentavit quoque rem, si digne vertere posset;
Et placuit sibi, natura sublimis et acer:
Nam spirat tragicum satis et feliciter audet.

Satir. I. 4, 33 omnes hi metuunt versus, odere poetas
» II. 1, 23 quum sibi quisque timet, quamquam est intactus et odit.

Hos versus mihi respicienti verbum invidia in satira II. 3, 13

invidiam placare paras virtute relicta.

odii potestate videtur esse positum, labique vetus schol. qui ad invidiam placare affert: „eundo ad agrum id volebas agere, placare invidiam, quam patiebare in publica positus facie." Ipse sententiarum nexus illam vim flagitare videtur. Damasippus mensa eversa ad philosophiam transgressus illo loco Horatium vituperat, quod tam raro scribat neque plura in villa componat, quam olim inter strepitum urbanum, adduciturque in eam sententiam, Horatium odium timentem satiras scribere desiisse, id quod ex adjectis verbis „relicta virtute" intelligitur; stoico enim virtutis esse videtur, vitia hominum castigare. Verum est, multos Romanos Horatio invidisse, quod Mecaenatis aliorumque virorum id temporis clarorum familiaritate uteretur; sed ideone Horatium scribendi consilium abjecisse verisimile est? verum porro est, multos laudi poëticae Horatii, invidia adductos, obtrectasse. Od. IV. 3, 16.

Et jam dente minus mordeor invido.

Hic versus autem ad odas spectat, neque ad satiras, quibus Horatius, quum illa scriberet, maxime insudavit. Mecum et Horatii verba satirae II. 1, 57—60 facere videntur.

Non longum faciam, seu me tranquilla senectus
Exspectat, seu mors atris circumvolat alis
Dives, inops, Romae, seu fors ita jusserit, exsul,
Quisquis erit vitae, scribam, color. —

Hic locus planum facit, Horatium vel cum exsilii periculo, quod ex odio immineret, satiras scribere conatum esse. Sed hoc obiter. Deinde et vita Romanorum diu quum omnibus literarum studiis tum maxime illi comoediae fuit adversa. Romani enim, quod fato sic placuit, ad regnandum facti, totum animum in constituenda conservandaque republica occupatum habebant.

Ad quod accessit, ut bellis perpetuis impliciti et finibus imperii quotannis augescentis intenti, contemplatione atque otio ad literas colendas necessario carerent, et quod temporis rebus gerendis supererat, id omne in fortunis augendis consumerent. In tali vita minus sociales fuerunt, quod in ipsa particularum inopia cernitur, et quum ad agendum quam ad scribendum essent promtiores, postquam animum ad humanitatis studia applicuerunt, limandi poliendique laborem fugerunt (Hor. ep. II. 1, 167. Cic. Brut. cap. 24. init.). At Graeci simulac barbaris a suis finibus depulsis suas res constituerunt, otio abundantes, et honestissimis animi oblectamentis dediti, literas artesque ita perfecerunt, ut quo ultra procederent, non haberent.

Tum ipsa linguae latinae indoles atque natura comoediae veteri obfuit. Ut mores ita et lingua Romanorum fuit gravis, sed antequam ad Graecae linguae ingenium fingi coepta est, horrida, minus flexibilis, inops verbis, neque satis idonea ad varios illos, quos comoedia postulat, colores imbibendos. Ea de re optime exposuit Quintilianus l. l. X. 1, 100. — qui locus non indignus est, quem proponamus: — „adeo, ut mihi sermo ipse Romanus non recipere videatur illam solis concessam Atticis venerem (venerem sermonis comicorum antiquorum dicit) quando eam ne Graeci quidem in alio genere linguae obtinuerint." Neque accomodata ad poesin tam variis numeris expressam fuit lingua latina, quippe quae ante Ennium excepto versu Saturnino, in quo neglecta syllabarum quantitate solus accentus valebat, quo alio metro uteretur, non habuerit.

Postremo reipublicae forma impedivit, quominus prisca Atheniensium comoedia literas Romanas ornaret; regibus enim expulsis summa potestas penes optimates fuit, quibus imperium

tenentibus ne ab Atheniensibus quidem in urbem receptam esse comoediam supra demonstravimus; atque etiam posteaquam plebejis hominibus aditus ad summos honores patuit, optimatium, qui verbis lacesserentur, dignissimorum auctoritas in republica fuit maxima. Jam vero ex quo res Romana unius consilio et cura gubernata est, nullus comoediae antiquae fuit locus, quo tempore etiam satiram principibus abstinuisse supra scripsimus. Ad quantum discrimen adducti sint, qui principes carpere sint ausi, triste Juvenalis satirici exemplum docet, qui quum in Domitiani mortui saevitiam inveheretur ab Hadriano, optimo principe in exilium missus moerore se confecit. Sed haec hactenus.

I. Lehrgegenstände des vorigen Schuljahres.

A. Religionsunterricht a) für die katholischen Schüler in I. wöchentlich eine Stunde, Rückblick auf die ganze Glaubenslehre in steter Verbindung mit der Sittenlehre nach Püllenberg; Erklärung des Evangel. Johannes nach dem Grundtexte, Oberlehrer Lindemann; in II. die Lehre von der Erlösung und Heiligung nach Püllenberg; Erklärung der beiden Briefe Pauli an den Timotheus und das Evang. Matthäi nach dem Grundtexte 2 Stunden wöchentlich, Derselbe. In III. 2 St. w. Sittenlehre nach Püllenbergs Handbuch für den Religionsunterricht, Oberlehrer Dziadek; in IV. 2 St. w. das Leben Jesu, Gymnasiallehrer Kattner. In V. Glaubenslehre, christliche Hoffnung und Liebe, 2 St. w., Hülfslehrer Haub; in VI. 2 St. w. Memoriren von Gebeten, Sprüchen und geistlichen Liedern, verbunden mit der Uebung der Fertigkeit in Auffindung des Sinnes und in Erklärung vorkommender Begriffe, Gymnasiallehrer Nieberding;

b) für die evangelischen Schüler I. in Verbindung mit II., Christliche Religionsgeschichte, besonders Reformations- und Kirchengeschichte, Periode IV. und V., nach Niemeyers Lehrbuch, wöchentlich 1 St.; in III. mit IV. allgemeine Religionslehre nebst Einleitung in die biblischen Bücher des neuen Testaments nach Dr. Spieckers Lehrbuch, w. 1 St.; in V. mit VI. biblische Geschichte des alten Testaments und fortgesetzte Erklärung der Hauptstücke in Lutheri Catechismus, w. 1 St., Rector Kroll.

B. Latein in I. bis Ostern 8, nachher 9 St. w., davon 2 St. für den lat. Stil und metrische Uebungen. Aus dem Deutschen in's Lat. wurde übersetzt aus Grotefend's Materialien, außerdem freie lat. Ausarbeitungen, Extemporalia nebst Wiederholung schwieriger Stellen aus der Grammatik, der Director. Tacit. Ann. I. und II. in's Deutsche übersetzt und lat. erklärt, w. 2 St., Oberlehrer Lindemann. Seit Ostern wurde in einer Stunde w. die Römische Geschichte von Erbauung der Stadt bis August in Verbindung mit den Röm. Alterthümern in lat. Sprache, vorgetragen von demselben; 2 St. Horaz Oden lib. IV. 1, 2, 3, 4, 5, 6; lib. I. od. 4, 6, 7, 10, 14, 37; Satir. lib. I. 3, 4, 6; epist. lib. I. 6, 7; lib. II. 2. Einzelne Oden wurden memorirt. Die Uebersetzung deutsch, die Erklärung lateinisch, Oberlehrer Dziadek; 2 St. Cic. Brutus, wovon 40 Capita in's Deutsche übersetzt und lateinisch erklärt wurden, Derselbe. In II. 8 St. w. davon für die Grammatik nach Zumpt's sechster Auflage die Syntaxis verbi, besonders die Lehre vom Conjunctivo und das Wichtigste aus der Syntaxis ornata, Exercitia, größtentheils freie Ausarbeitungen geschichtlichen Inhalts, Extemporalien und kleine metrische Versuche. Auch wurden aus Weber's Uebungsschule für den lat. Stil aus Th. I. c. 25, 26, 27 und 34 bis 38 übersetzt, 3 St. w., Oberlehrer Dziadek; Virgils Aen. lib. VI., VII. und VIII. bis v. 700, 2 St. w., in's Deutsche übersetzt und lat. erklärt, Hülfslehrer Braun. Sallust. Catil. das erste Tertial w. 2 St., das zweite 3 St. und im dritten 1 St., die beiden andern Stunden wurden im dritten Tertial für den Livius, wovon das 21ste Buch zur Hälfte gelesen wurde, in Anspruch

